

FK. 55. (10)

X 2047331

cat. II, 273

Z 6

1343

CANDIDISSIMI SINE FELLE
CYGNI

h. e.

VIRI

MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI
ATQUE EXCELLENTISSIMI
DOMINI,

DN. JOACHIMI
FELLERI,

SS. Theologiæ Licentiati longe dignissimi, Poëseos
in Academia Lipsiensi Prof. Publ. famigeratissimi, ejusdemque
Bibliothecarii solertissimi, Nationis Bavaricæ Senioris, Collegii Majoris
Principum Collegiati, de omnibus ac singulis officiis
optime meriti,

*Domini, Patroni atque Evergetæ sui, dum viveret,
benignissimi,*

præcipitem è terris ad candida fidera saltum
ipsis Exuviarum Solemnibus
d. X. April. clō lōc XCI.

ELEGIDIO isthoc

Tanquam supremâ gratitudinis & amoris tesserâ
lugens prosequabatur

devinctissimus ejus cultor

JOHANNES BENEDICTUS SILLIG
Misenensis.

LIPSIÆ

Literis JOHANNIS GEORGI.





vacat angelicis animam subducere turbis,
Nec Tua cum Cherubim guttura, *Cygne*, sonant.
Accipe, Seraphico quæ garrulus anser *Oloris*,
Obstrepat, exuviis dum calet urna piis.
Fas equidem nullo cineres confundere planctu,
Nec placidis oneri manibus esse Lyrâ.
Fas erat Aonios Tua funera tollere *Cygnos*,
Multaque Dircei quos levat aura senis.

At me vix tenuis Zephyri perlabitur aura,
Et mea depressam pagina radit humum.
Quanquam non pigris juvat obtorpescere plantis,
Astraque jam, *Cygnos* Te præeunte, sequor.
Nam qui calcar erat, regeret dum spiritus artus,
Hic eadem stimulat pleetra sepultus amor.
Hinc fervor timidumque subit fiducia Phœbum,
Inque Tuas laudes carbasa panda ruunt.
Sed vereor, ne Te lachrymarum squalida turpent
Flumina. Nam mundus mundula *Cygnus* amat.
Ecce modò ingenti rorantia lumina fletu,
Verbaque singultu dimidiata gravi.
O utinam (mens vanagemit) Sthenelea referre
Corpora, & in *Cygnum* totus abire queam!
Sic *Olor* ipse meum cantare lubenter *Olorem*
Et vellem & possem. Sed pia fata negant.
Ergò per exiguæ jam suscipe munera chartæ:
Si plus suppeteret, plus Tibi, *Cygne*, darem.
Invenies tamen hîc, nivei sub imagine *Cygni*,
Cantatas laudes cum brevitate piæ.
Est locus à *Cygnis* quondam qui nomen adeptus,
Scutaque de triplici nactus *Olore* fuit.
Hîc Tua natalis sedes. Hæc flumine sacrò
Merfit, & exiguò corpore *Cygnus* eras.
Audiit hinc quoties resonanti gutture vocem,
Exiliit *Sobolem* devenerata suam.
Tu contra obsequiis, precibus, testudine matri
Prolem monstrabas, quàm generosa foret.
Creverat à teneris Candor, primisque sub annis
Jam *Cygni* illustres emicuerunt notæ.
Æmula vis animum stimulat, ut impare Vates,
Nec remorante tamen, prosequerè re gradu.
Nunc *Venasinus* *Olor*, nunc *Hellados*, inter *Olores*
Maximus, argutos Te docuere sonos.
Donec in *Aonidum* *Philurea* *Roseta* receptus
Audiisti *Cygnos* verba sonare novos.
O nimium dilecte DEO, quæ candida fata,
Quæ Tibi tum Zephyri flamina grata dabant!
Paupertas onerosa fugit, petis astra volatu,
Totaque Te *Cygnos* *Plissa* sonante fremit.
Mox ubi *RAPPOLTUS* *Libitinae* cesserat umbris,
Cygneum *Cygnos* *Lipsia* cessit opus.
Fama volat, Tuque ipse volas, per regna, per urbes,
Et niveum stupuit gens peregrina caput.

Sive

Sive in Teutonicos, seu Grajos atque Latinos
 Cantus incideres, promptus & aptus eras.
 Sive in Paulina raforum è stercore fratrum
 Aurum colligeres, promptus & aptus eras.
 Sive, quod obscurâ rapuit sub nube vetustas,
 Auguriô eliceres, promptus & aptus eras,
 Hinc *Leopoldinis* Te *CÆSAR* honoribus auxit,
 Addidit & *Musis Imperiale* jubar;
 Edocuitque, suum pretiô quô scribat *Olorem*,
 Dum dedit auratis colla nitere comis.
 Multa daturus adhuc, Tua si *LEOPOLDIS* in auras
 Exierit, Lauros, bella, *Tropæa* sonans,
 Semiputata Tibi at vitis sub fronde relicta est,
 Palladiumque simul *Clotho* recidit opus,
 Fas etiam nunc est niveos pertexere mores,
 Candidior *Cygnô* queis mihi vivus eras.
 Hic campus pelagusque subit, laudumque *Tuarum*
 Diluviô obruitur nostra *Thalia* statim.
 Ipsi igitur, duro quos verberare torquet egestas,
 Pauperiesque urget, Te, pie *Cygne*, canant.
 Hos vultu, affatu, manibus pedibusque juvabas,
 Ac ubi res dêerat, spes faciêbat amor.
 Non animo dispar facies, non dissona fronti
 Pectora: non fumos mens phalerata dabat.
 Secula quod faciunt prægnantia montibus altis,
 Queis animo *Corvus*, *Cygnus* in ore sedet.
 Te *Studiosa* cohors testor, lacrymasque, genasque,
 Quas macies pingit lurida, teque dolor.
 An non Vos, *Pythiæ* & germani fratris ad instar,
 Ambiit, inque oculis, pectore, mente tulit?
 Ah! oculos semel, ah! semel algida lumina solve,
 Aoniosque audi jungere verba choros:
FELLERUS sine felle *merus*, sine fraude *fidelis*,
 Candidus ore, manu, carmine *Cygnus* erat.
 Ipse ego, dilectæ quondam charissima mensæ
 Portio, per caput hoc testor, & astra *Poli*.
 Te patriô plusquam nostras adamassê *Camœnas*
 Pectore, & adversas dedoluisse vices.
 Curando quoties memini Te condere soles,
 Quî *Proceres Musis* conciliare queas.
 Sæpius hinc tacitè mecum: Ter & amplius ô si
 Vivaces aquilæ posset obire vices;
 Aut viridi æternam consumere flore juventam,
 Qualis *Apollo* tibi gens malè sana fuit.
 At mea jam pridem madidis sunt credita ventis
Votula, & in cineres spes abita acta leves.
Enthea stelliferô nam vox venit æthere lapsa,
 Quæ pausam imponit, *Cygne sonore*, Tibi.
 Et, quod luctificô transfixit pectora morfu,
 Heu nimis horribilem fata dedere viam,
 Namque per ambrosiam dum languida corpora noctem
 Pascis, & immodicô membra sopore madent.

Phanta-

Phantafus ecce venit, lectoque exturbat amicô,
 Atque fenestellas suadet adire cavas.
 Corpore mox inclinatô per inania præceps
 Volveris, Eutychie more modoque pii.
 O utinam præfens sanctissime Paule fuiffes!
 Heu! non infelix Eutyche ipse fores.
 Ast fuit in fatis, quæ dia Pronœa peregit,
 Quodque dedit corpus, sustulit illud idem.
 Hæc Christo similem jussit cruce figere carnem,
 Hebdomadæque hujus nomine digna pati.
 Hæc Tua spinosam jam tempora ferre coronam,
 Et modicâ Jesum parte levare jubet.
 Non tamen hæc inter *Cygnus*, Pie, definis esse,
 Sed punctum tituli perficis omne Tui.
 Namque epulô CHRISTI pastus, dum vulnera gustas,
 Et Zephyri spirat cœlitus aura sacri.
 Guttore plenus ovas, resonas hymnosque, precesque,
 Et fis cantator funeris ipse Tui.
 His benè transactis, animâ custode remotâ,
 Cygneum clausit vox tenuata melos.
 Confestim planctus resonant, miseri que ululatus,
 Totaque Dirceam Lipsia plorat avim.
 Conjux orba Viri queritur, ceu Daulias ales,
 Hanc Natæ lachrymis vincere rursus amant.
 Filius unus abest, Soboles charissima *Cygni*,
 Hic fletu absorbet patria busta redux.
 Ipse piis manibus manes & pignora plangens,
 Alternis vicibus talia voce gemo:
 Plangite Cygneides, vestris qui lusit in undis,
 Inque sinu jacuit, funere *Cygnus* obit.
 Plangite Pliffiades, Heliconia flumina cantu
 Qui stravit, lapsu præcipitante cadit.
 Plangite proh! inopes, *Cygnus*, solatia vobis
 Qui cecinit, cecidit. Portus & ara jacet.
 Plangite cana fides, pietas, amor, atque prioris
 Ævi relliquiæ. Portio magna perit.
 Quid vero laxare juvat tot fræna dolori?
 Cur sortem invideam, *Candide Cygne*, Tibi?
 Namque inimicorum truculenta tot agmina calcas,
 Et miseri exuvias corporis abdis humo.
 Cum CHRISTO perpeffus eras tormenta parumper,
 Ut premeres victor, Tartara, tela, necem.
 Hinc Tua non aliô signetur carmine Tumba,
 Quàm speciem parvi quod Colophonis habet:
 Hic sine felle jacet *FELLERUS*, moribus olim
 Qui niveis, Patriâ, munere *Cygnus* erat.
 Fortè cadebat humi. *JESUS* miseretur Oloris,
 Cumque *Aquilâ* *Cygnus* surgit, & astra petit.
 O felix iter! & nos ibimus, ibimus illuc.
 Interea æternum, *Candide Cygne*, vale!



1072

1072

Fr. 55. (10)

X 2047331

cat. IV, 273

Z 6
1343

CANDIDISSIMI SINE FELLE CYGNI

h. e.

VIRI
MAXIME REVEREN
ATQUE EXCELL
DOMIN

DN. JOA FELLE

SS. Theologiae Licentiati lon
in Academia Lipsiensi Prof. Publ.
Bibliothecarii solertissimi, Nationis Bava
Principum Collegiati, de omni
optime mer

*Domini, Patroni atque Ever
benignissimi*

præcipitem è terris ad ca
ipsis Exuviarum S
d. X. April. cl

ELEGIDI

Tanquam supernâ gratitud
lugens prosequer

devinctissimus ejus cultor

JOHANNES BENEDICTUS SILLIG

Misenensis.

LIPSIÆ

Literis JOHANNIS GEORGI.

